Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1575
Quelle:
Copyright:

liberandum, que vellent proponere domino Legato et proposuerunt 4. primo de archiepiscopo, ut faciat Rokoczanum, quia vir valens et dignus toti regno necessarius et utilis. 2° quod communio confirmetur. 3° si rex romanorum nollet assignare et dare regem Ladislaum, tunc vellent procedere ad electionem alterius regis et jam nollent esse obnoxii nec regi, nec pape. 4° ut confirmet compactata. Ad primum feria 5ta respondit, regratiando eis intime quod ita diligenter instant pro archiepiscopo et pro bono communi. Speramus autem quod ex illa feruentia, quam habetis pro habendo archiepiscopo, feruentiam habeatis pro restituendis bonis archiepiscopalibus et cum singula bona restituta fuerint, quod etiam de illo bono zelo vestro et propriis apponetis, et cum sic archiepiscopus prouisus erit et tunc sancta sedes apostolica parata erit vobis prouidere de viro secundum jura canonica et illius responsum voluit habere die crastina. De rege dixit, quod non esset honor eorum si regem alterum eligerent, nec per hoc inter se disponent pacem, sed magis perpetuam intranquilitatem. De communione autem et de compactatis pro tunc nil respondit, dixit autem, quod sanctissimus pater nihil de compactatis sciret, nec nobis aliquid de eis constat, supplicamus igitur, quod detis nobis eam ad conspiciendum: tunc dederunt ei literam originalem. Item feria 6ta domini angariauerunt ex inductione Pzibroni (Przibrami) *Procopij, magistri Petri in Ladenz et magistri Sigismundi magistros et studentes, ut singuli eant et promoueant Rokoconium secundum quod scripserunt ad papam, ut scriptum jam comprobent, eum laudent et exaltent, quia vir ydoneus est et dignus et factum est, quia quasi omnes venerunt magistri, paucis demptis, et cum eis domini et civitatenses. Quibus respondit, ut ante, postquam bona restituta fuerint. Ad hoc sibi domini responderunt, quod multa bona Conradus episcopus obligauit, quod etiam aliqui propriam hereditatem vendiderunt et hec emerunt, non videretur eis consonum, si sic simpliciter et de plano deberent restituere cum dampnis suis tunc de singulis. Item in die dominico spiritus sancti communicabatur* (Legatus) *sub una specie in ecclesia sancti Jacobi, videntibus magistro ciuium et consulibus utriusque ciuitatis et post ribaldi et aliqui barones insuniebant dicentes, dominum Legatum semper esse fatuum, eo quod posuit se ad partem extremam, cum tamen medium esse deberet nec ad istam partem, nec ad aliam se inclinare. Dicebant etiam ex quo, quod consuetudo communicandi in regno Bohemie est sub duplici specie, quod debuit se potius conformare eidem consuetudini et recipere etiam sub secunda: dicebant autem, quod per illam communionem nil boni disponetur in illo regno, quia fecit hoc in confusionem totius regni; dicebant etiam aliqui ad confirmationem sui erroris, quod sub 2da specie communi-*